

expertes sui tanti, tam inusitati consilii, relinquebat. Ecce subito literae Domitii ad illum, ipsius ad consules. Fulsisse mihi videbatur τὸ καλὸν ad oculos ejus, et exclamasse ille, vir qui esse debuit,

Πρὸς ταῦθ' ὅτι χρῆ καὶ παλαμάσθων,

Καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων.

Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.

At ille tibi, πολλά χαίρειν τῷ καλῷ dicens, pergit Brundisium. Domitium autem ajunt, re audita, et eos, qui una essent, se tradidisse. O rem lugubrem! Itaque intercludor dolore, quo minus ad te plura scribam? Tuas literas exspecto.

IX. CICERO ATTICO S.

Maximis et miserrimis rebus perturbatus, quum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo consilio volui. Deliberatio autem omnis haec est: si Pompejus Italia cedat, quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes: et quo facilius consilium dare possis, quid in utramque partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi. Quum merita Pompeji summa erga salutem meam familiaritasque, quae mihi cum eo est, tum ipsa reipublicae causa me adducit, ut mihi vel consilium meum cum illius consilio, vel fortuna (cum fortuna) conjungenda esse videatur. Accedit illud: si maneo, et illum comitatum optimorum et clarissimorum civium desero, cadendum est in unius potestatem. Qui etsi multis rebus significat se nobis esse amicum, et ut esset, a me est (tute scis) propter suspicionem hujus impendentis tempestatis multo ante provisum: tamen utrumque considerandum est, et quanta fides ei sit habenda, et si maxime exploratum sit, eum nobis amicum fore, sitne viri fortis et boni civis, esse in ea urbe, in qua quum summis honoribus imperiisque usus sit, res maximas gesserit,